

XXVIII. CONTRARIE—CONTRADICTORIE—SUBCONTRARIE. Haec ad oppositionem propositionum pertinent, quae dicitur *complexa*, ut distinguatur ab oppositione *incomplexa*, quae est oppositio rerum, de qua paulo ante egimus. *Contradictorie* oppositae sunt illae propositiones, quae secum invicem pugnant qualitate et quantitate; ut, omnis homo est iustus, aliquis homo non est iustus. *Contrarie*, quae qualitate tantum, ita tamen ut sint ambae universales; ut, omnis homo est iustus, omnis homo non est iustus. *Subcontrarie*, quae etiam qualitate tantum, sed ita ut sint ambae particulares; ut, aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus. Ast in huiusmodi enunciationibus, cum subiectum idem non sit, sed diversum, oppositio proprie non obtinet <sup>1</sup>.

## C

## EFFATA

I. CAUSSA CAUSSAE EST ETIAM CAUSSA CAUSSATI. Nempe: Illud, quod aliquam causam produxit, remote est etiam causa illius, quod ab hac causa, superius posita, producit; nam causa producens causam dat isti potentiam et vires operandi; hinc est etiam causa remota effectuum inde manantium. Ita sol producens lumen est causa remota manifestationis colorum. Quod effatum vero intelligendum est de effectibus realibus, et qui producuntur a causa posteriori, prout est effectus causae prioris, et qui per se causam posteriorem consequuntur <sup>2</sup>. Hinc perperam quis exinde colligeret Deum, causam hominis, esse etiam causam peccati, quod ab homine committitur, tum quia peccatum, quatenus tale, non est aliquid physicum, sed in mera privatione rectitudinis, seu convenientiae cum regula morum consistit, atque ab homine committitur, quatenus est ipse deficiens, non quatenus

necessarium est; sunt enim corpora fusca et rufa; nisi forte alterum contrariorum alicui a natura determinate insit, ut calor igni, ac frigus nivi; *Dialect.*, c. 57.

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., *In lib. I Perhierm.*, lect. XI.

<sup>2</sup> I, q. XLIX, a. 2 ad 2.

est effectus Dei; tum quia non necessario et per se, immo potius, prout homo *exit ordinem Causae primae* <sup>1</sup>, ex facultatibus a Deo illi inditis consequitur.

II. CAUSA FINALIS EST PRIMA INTER OMNES CAUSAS <sup>2</sup>.

III. CAUSA IN ACTU SIMUL EST CUM EFFECTU IN ACTU. Idest: Causa, prout est *actu* causa efficiens <sup>3</sup>, necessario includit aliquem effectum suo conatui accommodatum, et ad quem immediate ordinatur, atque: Effectus actu emanans a causa simul est cum sua causa. Diximus *effectum suo conatui accommodatum*; quocirca si causa est libera, simul cum ea est actus, quo vult producere effectum, non tamen necesse est, ut simul cum ea sit ipse effectus, siquidem effectus causae liberae accommodatus non solum talis esse debet, qualem ipsa vult, sed tum quoque, cum ipsum vult.

Hinc ex prolato axiomate nihil pro aeternitate creationis inferri potest. « Et sic, subdit s. Bonaventura, non fuit ab aeterno producere, sed in tempore, in quo disposuit et voluit (*Deus*) ab aeterno producere rem <sup>4</sup> ».

Diximus autem, *ad quem immediate ordinatur*; nam, momente s. Thoma, « causa efficiens statim producit effectum suum, ad quem ordinatur immediate, non autem effectum, ad quem ordinatur mediante alio, quantumcumque sit sufficiens; sicut calor, quantumcumque sit intensus, non statim in primo instanti causat calorem, sed statim incipit movere ad calorem, quia calor est effectus eius mediante motu <sup>5</sup> ». Quocirca non licet ita argumentari: « Posita causa efficiente, statim ponitur effectus; si ergo resurrectio Christi est sufficiens causa resurrectionis mortuorum, statim deberent mortui resurgere, et non tantum differre ». Nam « effectus sequitur ex causis instrumentalibus secundum conditionem causae principalis. Et ideo, cum Deus sit principalis causa nostrae resurrectionis, resurrectio vero Christi sit instrumentalis, resurrectio nostra sequitur resurrectionem Christi secundum

<sup>1</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXIX, a. 1 ad 3, et *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 3 ad 3.

<sup>2</sup> Vid. *Finis movet efficientem*.

<sup>3</sup> « . . . Posita causa in esse, non ponitur in actu, nisi ponatur in operando »; s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XLV, a. II, q. 2 ad arg.

<sup>4</sup> *Ibid.*—<sup>5</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, q. I, a. 2, sol. 1 ad 1.



dispositionem Divinam, quae ordinavit, ut tali tempore fieret<sup>1</sup> ».

Insuper, effectus *actu* emanans a causa simul est cum sua causa. Attamen effectus, postquam iam a causa sit productus, potest sine praesenti causae existentia perdurare, dummodo aliunde conservetur. Nam « effectus, uti Seraphycus Doctor advertit<sup>2</sup>, habet comparari ad aliquam causam dupliciter; aut sicut introducendam et conservandam, ut lumen ad solem, et sic locum habet illa maxima; aut sicut ad introducendam solum; sic non habet locum; si enim cultellus infligit plagam, non oportet quod, destructo cultello, destruaturs plaga ».

IV. CAUSA PRIOR EST SUO EFFECTU. Quod ita explicandum est: Causa omnis est *natura* semper prior suo effectui, quia hic ab illa dependet. Quod si de *anterioritate temporis* sermo sit, distinguenda est causa *entitative* spectata, sive in seipsa, et sine relatione ad effectum, atque causa *formaliter*, seu sub ratione causae considerata. Porro, causa, si *formaliter* inspicitur, non potest esse prior, quam effectus; siquidem, uti paulo ante diximus, antequam aliquid efficiat, causa esse nequit. Sin *entitative* spectetur, interdum effectui *tempore* praecedit, interdum simul cum ipso existit. Scilicet, simul cum effectui existunt causae *instantaneae*, quae effectum suum *subito* producunt, sicut sol lucem: « Nec oportet omnem causam effectum duratione praecedere, sed natura tantum, sicut patet in sole et splendore<sup>3</sup> ». Effectui praecedunt causae *successivae*, quae illum producunt *per motum*, in his enim requiritur, ut principium motus praecedat finem eius<sup>4</sup>. Haec de causa efficiente. Quod vero attinet ad alia causarum genera, causa *materialis* naturaliter non est *tempore* prior omni suo effectui, nequit enim materia carere omni forma. Item, causa *formalis* re ipsa non est *tempore* prior suo effectui, nempe composito, sed simul inci-

<sup>1</sup> Vid. loc. cit. p. 21.

<sup>2</sup> In lib. IV Sent., Dist. XXII, a. 2, q. I ad arg. Vid. *Sublata causa, removetur effectus*, litt. S.

<sup>3</sup> Qq. dispp., De Pot., q. III, a. 13 ad 5. Quod idem iam adnotaverat Nazianzenus iis verbis: « Perspicuum est causam non omnino antiquiorem esse iis, quorum causa est; neque enim sol lucem tempore antecedit »; Orat. XXXV.

<sup>4</sup> Vid. s. Thom., Opusc. XXVII de aeternitate mundi.

piunt. Denique causa finalis, uti explicabitur litt. F, est prior suo effectui *in intentione*.

Quod si *pro prior* pro *nobilior* explicare velis, haec habe: Omnis causa *formaliter* sumpta nobilior est suo effectui; nobilior est enim dare, quam accipere<sup>1</sup>. At *entitative* non semper est nobilior. Enimvero causa efficiens principalis est vel nobilior effectui, vel aequae nobilitatis. Est aequae nobilitatis, si sit causa *univoca*; huiusmodi enim causa est eiusdem speciei cum effectui, ideoque eadem perfectione essentiali pollet. Est nobilior, si sit causa *aequivoca*, haec enim est sublimioris ordinis; ut sol producens aurum et gemmas<sup>2</sup>. *Instrumentalis* ut plurimum est ignobilior suo effectui, uti calamus scriptura. Diximus, *ut plurimum*, nam « aliquid, uti s. Thomas advertit, potest agere ultra suam speciem non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis<sup>3</sup> ». Compositum, quod existit ex materia et forma, est perfectius ipsis, licet hae sint illius causae; totum enim est perfectius qualibet sua parte. Denique causa *finalis* in agentibus bene ordinatis est nobilior effectibus, nihil enim in agentibus bene ordinatis est propter vilius se, si sit principaliter intentum; id quod clarius patebit ex illo, *Inconveniens est aliquid esse propter vilius se*.

V. CAUSAE EFFICIENTI ASSIMILATUR EFFECTUS. Intelligendum est, ut monet s. Thomas<sup>4</sup>, de causa efficiente *principali*; haec enim operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus, non item de causa *instrumentali*; nam haec non agit per virtutem suae formae, sed per motum, quo movetur a principali agente. Hinc ignis suo calore calefacit; e contrario, lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis. Insuper, haec similitudo, seu convenientia effectus cum causa, accipienda est vel secundum *eandem rationem specificam*, sicut homo generatur ab homine; vel secundum *eandem rationem genericam*, sicut ea, quae generantur ex virtute solis; vel tantum secundum *aliquam analogiam*, sicut ea, quae sunt a Deo; haec enim assimilantur Deo neque *secundum eam-*

<sup>1</sup> « Omne, quod fit, ei, a quo fit, par esse non potest »; s. Aug. Qq. LXXXIII, q. 2.

<sup>2</sup> Vid. s. Thom., I, q. IV, a. 2 c.—<sup>3</sup> 3, q. LXXVII, a. 3 ad 3.

<sup>4</sup> I, q. IV, a. 3 c., et q. CV, a. 1 ad 1.



dem rationem specificam, neque secundum eandem rationem genericam, sed tantum quia, utpote entia, imperfectam similitudinem cum Deo, primo et universali principio totius esse, praesefereunt. Hanc ob rationem creaturae possunt aliquo modo dici similes Deo, sed non vicissim; « Inter Deum, et creaturas non est similitudo per convenientiam in aliquo communi, sed per imitationem; unde creatura similis Deo dicitur, sed non convertitur <sup>1</sup> ».

VI. CAUSAE AEQUALITAS CAUSAT AEQUALEM EFFECTUM. Idest; augmentum, vel diminutio causae auget, vel minuit effectum; e. g., si calidum dissolvit, magis calidum magis dissolvit. Hoc autem verum est, si causa accipiat pro causa *per se*, qua augmentata, vel diminuta, augetur, vel diminuitur effectus <sup>2</sup>; non vero si accipiat pro causa *per accidens*, seu removente prohibens: « Aequalitas causae removentis prohibens non ostendit aequalitatem effectuum. Si quis enim aequali impulsu divellet duas columnas, non sequitur ut lapides superpositi aequaliter moveantur, sed ille velocius movebitur, qui gravior erit, secundum proprietatem suae naturae cui relinquatur, remoto prohibente <sup>3</sup> ».

VII. CAUSAE QUAE DAM SUNT SIBI INVICEM CAUSAE. Non tamen in eodem, sed in diverso genere. Idque locum habet quoad causas materialem et formalem, et quoad causas efficientem et finalem. Nam forma determinat materiam, et haec illam sustentat <sup>4</sup>. Finis autem, ut intentus, movet causam efficientem; atque, ut obtentus, saepe perficitur ab ipso agente. E. g., Medicus movetur a sanitate aegroti, quam intendit, ad applicanda remedia; atque per remedium applicationem obtinet sanitatem: quocirca sanitas intenta causat movendo medicum; et sanitas obtenta causatur a medico. « Contingit, ait s. Thomas, secundum diversa genera causarum idem respectu eiusdem esse causam et causatum; sicut purgatio est causa sanitatis in genere causae efficientis; sanitas vero est causa purgationis secundum genus causae finalis ». Similiter « materia est causa formae aliquo modo, in quantum sustentat

<sup>1</sup> In lib. I Sent., Dist. XXXV, q. I, a. 4 ad 6.

<sup>2</sup> Vid. s. Thom., 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXXV, a. 5, ad 1.

<sup>3</sup> Ibid.—<sup>4</sup> In lib. IV Sent., Dist. XVII, q. I, a. 4 sol. 1 c.

formam; et forma est aliquo modo causa materiae, in quantum dat materiae esse actu <sup>1</sup> ». Porro effectum pro eodem genere causarum intelligi non posse ex eo patet, quod nequeunt duae res sese mutuo producere, utraque enim simul foret causa et effectus sub eodem respectu.

VIII. CAUSAE SECUNDAE NON AGUNT NISI MOTAE A PRIMA. Quod quidem intelligendum non est secundum illorum sententiam, qui solam Causam Primam, nempe Deum, omnia immediate operari autumant. Etenim, « cum Deus sit omnium causa immediata, quorundam tamen est tota causa, sicut eorum quae creantur: quorundam autem est causa particularis, ut eorum quae sunt a natura particulari; et haec quidem causa concurrat non propter indigentiam Divinae voluntatis, sed propter summam liberalitatem, quae non tantum dedit rebus esse, sed et operationem et diffusionem, propter ordinem et connexionem universi ad invicem. Nec una causa derogat alteri, sed totus effectus est a causa creata, et totus a voluntate infinita increata <sup>2</sup> ». Quocirca illud effectum explicandum est 1<sup>o</sup> quatenus « Deus est dans esse rebus: causae autem aliae sunt quasi determinantes illud esse . . . esse autem est magis intimum cuilibet rei, quam ea per quae esse determinatur. Unde operatio Creatoris magis pertingit ad intima rei, quam operatio causarum secundarum <sup>3</sup> »; 2<sup>o</sup> quatenus causae secundae non agunt, nisi secundum vires a Deo datas et conservatas; unde illud, *Causa secunda agit in virtute Causae Primae*; 3<sup>o</sup> quatenus causae secundae non agunt, nisi Deus in earum actiones ita influat, ut eundem cum illis producat effectum; unde illud, *Causa secunda applicatur a prima*, quo applicationis nomine intelligitur Divinus concursus vel *praeivius*, vel tantum *simultaneus* <sup>4</sup>: « Deus immediate in omnibus rebus operatur, in quantum virtus sua est sicut medium coniungens virtutem cuiuslibet causae secundae cum suo effectum; non enim virtus alicuius creaturae posset in suum effectum,

<sup>1</sup> Qq. dispp., De Ver., q. XXVIII, a. 7 c. Hoc modo etiam potentiae sunt causae effectrices actuum, et actus sunt fines potentiarum; Qq. dispp., De Virt., q. I, a. 12 ad 5.

<sup>2</sup> S. Bonav., In lib. I Sent., Dist. XLV, a. II, q. 2 ad arg. Vid. s. Thom., I, q. CV, a. 5 c.

<sup>3</sup> In lib. II Sent., Dist. I, q. I, a. 4 sol. — <sup>4</sup> Cf. o. 6<sup>o</sup> 68.



nisi per virtutem Creatoris, a quo est omnis virtus, et virtutis conservatio, et ordo ad effectum <sup>1</sup> ».

IX. COMMUNIUS EST NOBILIUS. Intelligendum est de eo, quod est *communius secundum causalitatem*, quemadmodum causa, quae una numero manens ad plures effectus porrigitur; hinc causa conservans civitatem nobilior est ea, quae conservat familiam. At si *commune* accipiatur *per consecutionem*, vel *praedicationem*, quemadmodum unum, quod invenitur in multis secundum unam rationem, tunc illud, quod est communius, non est nobilius, sed imperfectius, sicut animal homine <sup>2</sup>.

X. COMPOSITIO IBI EST, UBI EST DISTINCTORUM UNIO. Hoc effatum verum est, dummodo distinctorum unio huiusmodi sit, ut unum se habeat per modum actus, et alterum per modum potentiae; quocirca, etsi in Deo multa virtualiter distinguantur, nulla tamen ex iis fit compositio, nam nihil in Deo assignari potest, quod se habeat per modum potentiae. Rursus compositio tunc exurgit ex distinctorum unione, cum haec uniuntur inter se sub ea ratione, qua distinguuntur, vel distinguuntur sub ea ratione, qua uniuntur; quocirca ex eo quod in Deo sunt tres Personae realiter distinctae, quae cum Essentia intime coniunguntur, quaedam compositio in eo esse perperam arguitur; siquidem Divinae Personae, quatenus in essentia uniuntur, non distinguuntur, et quatenus distinguuntur, non uniuntur, sed relative sibi mutuo opponuntur <sup>3</sup>.

XI. COMPOSITIUS QUO ALIQUID EST, IMPERFECTIUS EST. Hoc effatum veritate gaudet quoad res immateriales, siquidem harum perfectio ex accessu ad summe simplex consideratur, ac proinde quo magis ipsae iis privantur, quae principia materialia, seu *potentialitatem* praeseferunt, maiori perfectione pollent. At idem, monente s. Bonaventura, quoad res materiales, quae ex partibus constituuntur, non habet veritatem, nam in illis « magnificatur virtus ex partium magnitudine, sicut magis urit magnus ignis, quam parvus; et plurificatur ex partium multitu-

<sup>1</sup> Loc. cit.

<sup>2</sup> Qq. dispp., De Ver., q. VII, a. 6 ad 7. Vid. aliud effatum, Bonum, quanto communius, tanto divinius p. 50, n. V.

<sup>3</sup> In lib. I Sent., Dist. VIII, q. I, a. 1 ad 4.

dine, sicut maioris virtutis est syrupus compositus, quam liquor impermixtus <sup>4</sup> ».

Aliam huius effati explicationem tradidit s. Thomas his verbis: « Dicendum quod aliter est in participationibus, et in participantibus. Participationes enim quanto sunt simpliciores, tanto nobiliores, sicut esse, quam vivere, et vivere, quam intelligere, ut fiat comparatio inter esse, et vivere, separato per intellectum esse a vivere. In participantibus autem quanto aliquid magis est compositum, non dico compositione materiali, sed per receptionem plurium participationum, tanto est nobilius, quia tanto in pluribus Deo similatur, et huiusmodi assimilatio esse non potest, nisi per aliqua a Deo accepta <sup>2</sup> ».

XII. COMPOSITUM EST ALIQUID, QUOD NULLI PARTIUM CONVENIT. Hoc effatum locum habet sive in compositis, quae partibus dissimilibus, sive in iis, quae partibus similibus constant. Ita nulla pars hominis est homo, neque aliqua partium pedis est pes. Item licet pars aeris sit aer, et pars aquae sit aqua, tamen aliquid de toto dicitur, quod non convenit alicui partium; nam si tota aqua est bicubita, idem de parte dici nequit <sup>3</sup>.

XIII. CONTRADICTIO EST OPPOSITIONUM MAXIMA. Sane in contradictorie oppositis, quippe quae secundum ens et non ens, seu secundum affirmationem, et negationem separantur, nulla adest convenientia, dum *privative opposita* circa idem subiectum versantur, e. g., visus et caecitas circa oculum; et *contraria* etiam in aliquo genere, saltem remoto, conveniunt, e. g., virtus et vitium in genere *qualitatis* <sup>4</sup>. Id amplius declaratur, eo quod contradictoria non solum magis, quam contraria, quae ambo entia sunt, sed etiam magis quam *privative opposita* pugnant, siquidem privatio, seu defectus entis semper expostulat subiectum esse, puta quidquid *caecum* dicitur, id esse necesse est; at non item negatio; nam quod omnino non est, non denotat aliquid, quod non potest videre <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> In lib. II Sent., Dist. XV, a. I, q. 2 ad arg.

<sup>2</sup> Qq. dispp., De Ver., q. XX, a. 2 ad 3.

<sup>3</sup> Vid. s. Thom., I, q. III, a. 7 c.

<sup>4</sup> In lib. I Sent., Dist. V, q. I, a. 1 ad 1.

<sup>5</sup> Quod spectat ad comparisonem *contradictoriorum* cum relative oppositis, vid. *Contrarietas relativa est omnium minima*.



XIV. CONTRADICTIONE FORTISSIMA EST; ET NIHIL TAMEN EA INFIRMIUS. *Fortissima* est respectu reliquarum oppositio- num; omnino enim caret medio, quod vocant, *subiecti*<sup>1</sup>, quoniam est inter ens, et non ens<sup>2</sup>. Nihil tamen contra- dictione *infirminus* est; nam contradictio est mendacium, seu quid falsum, nihil autem per se est mendacio et fal- so infirmius. Quinimmo contradictorium est nihil, nam « coniunctio affirmationis et negationis nihil est, nec ali- quem intellectum generat quod dicitur homo et non ho- mo simul acceptum, quasi in vi unius dictionis<sup>3</sup> ».

XV. CONTRADICTIONE INTER OMNIA ALIA OPPOSITA EST PRI- MA. Etenim contradictio nihil aliud est, quam forma, et negatio eius. Iam ideo opposita non possunt simul existe- re, quia alterum negationem alterius in sui ratione in- cludit; e. g., ad rationem caeci pertinet quod sit non vi- dens; ad rationem nigri quod non sit album; et ad ra- tionem filii, quod non sit pater eius, cuius est filius. Ex his consequitur *contradictionem* esse reliquarum oppositio- num causam, nam id, quod maximum et primum est in aliquo genere, est causa omnium aliorum.

XVI. CONTRADICTIONE SEMPER UNUM EST VERUM, AL- TERUM FALSUM. Nempe alterum contradicentium de quavis re vere dici potest. E. g., quidquid est, videt, aut non videt, scribit, aut non scribit, etc. Idem de ceteris oppo- sitis statuendum non est; non quidem de relatis; quia non omne, quod est, dominus, aut servus est; neque de con- trariis, quia non omne, quod est, virtus est, aut vitium, nigrum, aut album; neque in privantibus, quia non omne, quod est, audit, aut surdum est. Potest etiam illud effa- tum explicari hunc in modum: In contradictoriis, si, e. g., Socrates non sit, falsum erit, quod sedet, verum ta- men erit, quod non sedet. In reliquis oppositis autem, si Socrates non sit, falsa sunt ista, Socrates est albus, est niger; est pater, est filius; videns, caecus.

XVII. CONTRARIA, seu OPPOSITA<sup>4</sup>, IUXTA SE POSITA MA-

<sup>1</sup> Vid. p. 69-71.

<sup>2</sup> « Esse non habet contrarium, nisi non esse »; s. Aug., *De mor. Eccl. Cath.*, et *Manich.*, lib. II, c. I, n. 1.

<sup>3</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. I, q. II, a. 3, sol. « Non possumus cogi- tare esse simul et non esse »; s. Ans., *Contr. insip.*, c. 4.

<sup>4</sup> *Contrariorum* nomen aliquando pro oppositis in genere adhibetur, et opposita, quae proprio sensu *contraria* diximus, *adversa* nominantur.

GIS ELUCESCUNT. Hoc est, *opposita*, cum conferuntur secum invicem, mutuo se illustrant. « Cognitio oppositi, ait Ari- stoteles, non tollitur per esse alterius, sed magis iuva- tur<sup>1</sup> ». Hinc, si minus intelligitur, quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque ex discordiis percipi potest. Quinimmo, ut s. Thomas ait, « unum op- positum cognoscitur per alterum, sicut per lucem tene- bra. Unde et quid sit malum, oportet ex ratione boni ac- cipere<sup>2</sup> ». Ratio autem est, vel quia quaedam relatio in oppositione existit, vel quia oppositorum opposita est natura; si ergo unius oppositi naturam recte quis co- gnoverit, inde facile est alterius cognitionem sibi com- parare; siquidem, monente eodem sancto Doctore, contra- ria, prout cognoscuntur, sunt in mente *secundum esse spirituale*<sup>3</sup>, ac proinde *secundum quod sunt in mente, non habent contrarietatem, sed unum contrarium est ratio co- gnoscendi aliud*<sup>4</sup>.

XVIII. CONTRARIA, seu OPPOSITA EIDEM SECUNDUM IDEM, AD IDEM ET EODEM TEMPORE NEQUEUNT ATTRIBUI<sup>5</sup>. *Eidem* scilicet subiecto *singulari* et *incommunicabili*. Dicitur *sin- gulari*, quia recte possunt opposita attribui diversis sub- iectis, ut esse album homini, et esse nigrum corvo, aut eidem subiecto communi, ut homini esse album in Pe- tro, et esse nigrum in Paulo. « Opposita, inquit s. Bo- naventura, non possunt se compati circa idem . . . , verum est de eo, quod est ita unum, quod eius unitas repugnat multitudini, sicut est unum individuum; sed de eo, quod est ita unum, quod multitudini non repugnat, imo propter suam possibilitatem admittit omnem diversitatem, non ha- bet veritatem, immo simul et semel habet opposita . . . »

<sup>1</sup> *Met.*, lib. VII, c. 6.

<sup>2</sup> I, q. XLVIII, a. 1 c. « Malum discerni non potest, nisi per scientiam boni »; s. Ambros. Liber *De Paradiso*, c. 2. Vid. *Contra- riorum eadem est scientia* p. 87.

<sup>3</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. XXVI, q. I, a. 3 ad 4.

<sup>4</sup> *1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>*, q. XXXV, a. 3 c. et ad 3.

<sup>5</sup> « Fieri non potest, ut contraria simul sint in individuis secun- dum idem. Neque enim Socrates simul et valere, et aegrotare pot- est; aut membro eodem calefieri pariter, ac frigeferi »; s. Damasc., *Dialect.*, c. 57. Et s. Ambrosius: « Quod contrarium est, seipsum impugnat »; *De Poenitentia*, lib. II, c. 2.